I. 2. h.
1172 i. 6
2

# DE Naturæ Mechanica in Generatione & Conservatione Individuorum OPUSCULUM.

PRECLARISSIMIS
REGIÆ ACADEMIÆ
*LONDINENSIS.*
MEDICIS & DOCTORIBUS
DICATUM.

*LONDINI.*
Typis ex Officina T. EDLIN.
M.DCC.XXIV.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

# *Excellentiſſimi Mecenates.*

PAuciſſimis verbis paucos fructus otii mei, Præſtantiſſimi Viri, Vobis offero. Scientia quanquam in duobus iſtis ſolis articulis denunciata, magno tamen labore, & difficillima inquiſitione percepta, cum Vobis non ſit incognita, apud vos maiori Elegio & Commendatione non indiget. Hæc eſt vera Naturæ filia, & ſectarix, ideò cum & vos naturalis Philoſophiæ alumni & ſectatores ſitis, tanquam vobis propinquam non reicietis eam, nec aſpernabimini, fas ſit mihi ſperare. Si Aſtra pacatum tempus mihi aliquod

concedant, maius munus vobis offerre quàm hoc parvum quod pro aunc mihi licitum est, intendo; & si iocosa seriis immiscere cupietis, quanquam ejusdem naturæ; Palingenesiæ mysterium & experimenta declarare vobis suscipiam. Grato animo excipite que devota mente Humanitatibus vestris expono. *Valete.*

LOTTERINGUS.

# *De principiis Generationis* DISSERTATIO.

USQUE adhuc ſolitum in ſcholis, tractare fuit apud ſtudioſos Medicos & Anothomiſtas circa cognitiones partium Embrionis & Fœtus, ut ſtructuram humani corporis intelligerent ad naturæ infirmitatibus ſuccurrendum & ad quotidiana accidentia reparanda. Libet nunc ante oculos Illuſtrium Medicorum aliquas naturales proportiones exhibere, quæ tamen primo aſpectu videbuntur novæ & inauditæ ut ab eorum intellectu perſpicaciter & profunditus examinatæ, tandem naturali veritati conſonæ inventæ, approbationem obtineant & in publicam elucidationem

tionem atque utilitatem fas ſit illas declarare.

Dicimus igitur quod principia generationis fœtus ſunt duo ſcilicet ſperma & ſanguis Menſtruus, quia in omni generatione eſt neceſſarium Agens & Materia, Materia autem & Agens non coincidunt, ut patet ſecundo Phiſicorum: ſperma autem eſt Agens, & ſanguis menſtrualis materia, ut patet ex quinto decimo de Animalibus, ut dicit Auveroes ſecundo Colliget. Et quia omne Agens cum introductione formæ ſimul ſeparatur à Materia, nec ſubjicitur materiæ, ſeu pro materia generati, ergo ſperma ſeparabitur ab illa ſimul cum introductione formæ. Quod autem ſanguis Menſtruus ſit materia generati ſic patet, quia ex eiſdem generamur, & nutrimur, & è converſo ut dicitur ſecundo Colliget, & ſecundo de generatione & corruptione, & 15° de animalibus. Cum ergo Fœtus nutritur ex ſanguine, ergo ſimiliter generatur ex eo. Oportet ergo dicere, quod ſperma ſit Agens. Verè ergo dixit Philoſophus 14° de Animalibus, ſcilicet Vir dat formam, & principium motus, fœmina dat Corpus & Materiam; ſicut in lacte coagulato, ità erit quod provenit à mare & fœmina. Eſt ergo maſculus operans, & fœmina

mina patiens, ſicut eſt ſcamnum ex Carpentario & Ligno; Non igitur erit ſperma tanquam pars generati, ſed erit ſicut Motor & forma; & ſicut ſanitas quæ accidit infirmo ex ſcientia medicinali. Poſſimus ergo dicere, quod ſicut ſcamnum, eſt ex Carpentario, ſicut ex efficiente, ex Ligno ſicut ex Materia. Sic, ſicut fœtus eſt ex ſpermate, ſicut ex efficiente, & ex Menſtruo ſicut ex Materia. Eſt præterea notandum quod ſperma generat ex materia Cor primo, & primam virtutem in Corde imprimit ſibi ſimilem: quoniam ſperma habet primam virtutem generativam, contractam ab eo à quo deciſum eſt, & generando Cor, dat ſimilem virtutem generativam Cordi, & poſt ſeparatur ab eo, & derelinquit ipſum ſolitarium, quia Cor poteſt de cœtero generare alia membra omnia per virtutem primam ſibi introductam à ſpermate, ſimilem virtuti exiſtenti in ſpermate, abſque præſentia ſpermatis, quia ſperma poſtquam generavit Cor, iam totum opus ſuum peregit, nec eſt de cœtero neceſſarium ad generationem. Non ſolum autem in corporibus animatis anima ſenſibili ſed etiam animatis anima vegetabili hoc idem patet. Poſt ſeminationem determinata periodo germinabunt ſemina

per

per virtutem generativam insitam ipsis, & in quibusdam ascendunt semina divisa super terram in ipsa generatione, & in quibusdam manent in terra, & ista semina adhærent germini post separantur, & paulatim arescunt in ipsis germinibus tanquam vana, & inutilia ad generationem ulteriorem, quia similem virtutem generantem quam habebant intus duxerunt in ipsis germinibus, & germina obtinuerunt ea, & evanuit virtus, quæ prius fuerat in germinibus, postquam opus suum totum peregit. Propter quod illa germina sunt & permanent per se sufficientia ad generationem successivè absque seminibus, ex quibus generata sunt, ideò generant folia, flores & semina in circulo, sicut illa ex quibus originem contraxerunt. Omnes enim res quæ generantur, & in sua specie multiplicantur, non generantur nisi à sibi similibus in natura, tanquam à principiis, & radicibus suis, secundum modum dictum. Est ergo germen sicut Cor generatum, & separatum à semine suo, in quo est tota virtus seminis generativa omnium membrorum plantæ, & partium ejus, secundum exigentiam suæ speciei, quemadmodum in Corde Embrionis generato à spermate. Sciendum pro dictis, quod sicut non est necesse, quod primum Mo-

tiens

pens tangat ſuum mobile continuò, ſed ſufficit quod iam tetigerit, ut patet in ſagittatore, & ſagitta; ſic eſt de ſperma-te, & illo à quo deciſum eſt, ſcilicet corde, quod generavit ſperma, & corde quod generavit Membra Fœtus. Unde dicit Philoſophus 16. de animalibus: ſicut accidit rebus, quæſunt per ſe, quod primum movens movet, non quia contingat corpus, omniò ulteriùs, ſed quia jam tetigit in præterito. Ità eſt illud ex quo eſt ſperma, & non tangit poſt hoc. Amplius ſubtiliter animadvertendum eſt, quod ſperma quando eſt fortis & temperati caloris, tunc potens eſt digerere Menſtruum Complete, quia non poteſt fieri completa digeſtio, niſi per calorem completum, ſicut indigeſtio per calorem diminutum; ergo cum ſperma fuerit vincens, & potens bene digerere menſtruum, ſcilicet cum ſit ſicut motor & operans, aſſimilabit ſibi neceſſario hoc quod generat, ergo generabit maſculum, cum ſperma ſit ex maſculo. Et quia omnis corruptio & alteratio eſt ad contrarium, tunc quia ſperma non poterit vincere, & digerere menſtruum propter penuriam caloris, non poterit fœtum ſecundum ſimilitudinem formæ ſuæ, ergo erit alterata ad contrarium, & quia fœmina contrariatur mari,

neceſſariò creabit fœminam quia ſperma eſt ſicut operans, & menſtruum ſicut patiens. Propterea accidit quod mares ſunt calidiores fœminis, quia caliditas attribuitur Agenti. Ideò à Philoſopho fœmina dicitur mas occaſionatus propter indigeſtionem: tamen declarare expedit intentionem Ariſtotelis, ſupra quam dicimus, quod quamvis ſperma ſit factor Embrionis ut dictum eſt, tamen non eſt ſicut principale Agens, ſed magis ut organum, & inſtrumentum, quia anima exiſtens in ſpermate eſt principale Agens, & movens, mota ab anima generantis, cum omne quod eſt habet animam actu vel potentia, vel ſecundum quid vel ſimpliciter, ut dicitur 16. de animalibus, & utitur ſpermate tanquam inſtrumento cum calido & frigido ad generationem & formationem, ut ibidem dicitur. Unde ex motu generatur calidum & frigidum, ut inſtrumenta faciunt duritiem, & mollitiem, & ſimilia accidentia ut patet in naturalibus quàm in artificialibus; gladius enim efficitur ex motu inſtrumenti, quod movetur ſecundum ſcientiam artificis. Unde ſicut anima hominis, in qua eſt ſcientia, mediante ſanguine, & ſpiritu, movet manum, ut inſtrumentum, aut inſtrumentum extrinſecum, hoc autem movet materiam.

Sic

Sic & anima exiſtens in ſpermate, movet ſpiritum, ſecundum motum generantis, á quo exivit, & utitur ipſo ut inſtrumento, mediante calore naturali, & ſperma movet materiam, ſcilicet Menſtruum. Unde dicitur 16. de animalibus ; quod cum ſperma venerit in Matricem, movet menſtruum eodem motu, quo ipſum extitat motum, ſcilicet ab anima generantis, à quo exivit ſperma, & omnia membra ſunt in potentia, tam in menſtruo, quàm in ſpermate, in actu autem nullum, ſed in menſtruo paſſivè, in ſpermate activè, & hoc facit cum calido naturali, vel animali proportionato.

Ex præallegatis plurimas conſequentias poſſumus deducere quæ tamen cum ſint contrariæ vulgarium opinionibus, nihilominus eſſe conſentaneas omnino veris naturæ principiis & rationi concludimus. Sperma igitur cum non ſit pars materialis generationis, niſi ſit intruſum in debito vaſe generationis, non differt ab aliis excrementis & ſuperfluitatibus, non continens in ſe actu aliquam virtutem generativam, cum ſit in termino motus : & hoc etiam bene probatur per ſententias ſuperius allegatas non ſolùm, ſed per involuntariam pollutionem, à Natura ; quæ adhuc in corpore humano non definit per ſe expel-

lere ſemen ut ſuperfluum, & ei obnoxium, ſine aliquo dormientis conſenſu. Similiter ex prædictis videmus nullam virtutem animalem exiſtere in ſpermate, quia non communicat ſanguini menſtruali niſi virtutem moventem, ut & ipſe moveatur, ſicut & ipſum recepit primò ab intellectu primi motoris. Amplius dicimus minùs ineſſe in ſpermate humano aliquam virtutem vel animam rationalem, nec in actu nec in potentia cum talis anima non ſuperveniat fœtui niſi ab extrinſeco per decretum divinum poſt aliquos dies conceptionis, ut docet Plato, anima dari ab extrinſeco, id eſt elapſo determinato tempore, quo ſperma ſeparatum eſt, & dereliquit ſanguinem Menſtrualem, communicando illi tantum virtutem primi motus.

Sed ne videar meis concluſionibus tendere contra bonos mores, & ad intemperantiam & incontinentiam licitum ſit ſe proſtituire; nullus hominum eſt qui ignoret quantum ad puritatem conſervandam divina exempla & præcepta nos cohibeant, & quali damno corpus à depravato incontinentiæ vitio inficitur. Poſſem Sacrum Textum allegare, qui profert, Maledictus homo qui proicit ſemen ſuum ſuper terram, ſi opportuniùs non cenſe-

rem

rem talia verba prolata allegoricè ad altiorem ſenſum ſe referentia, ut bene & clariùs exponere poſſem, ſi idoneus hic eſſet locus, & ab incepto tramite non deviarem; ſed cum de actione, & principiis naturæ ſit ſermo, in illis tantum fas ſit propoſitum incumbere.

Rurſus ſi ſacra prophanis eſſet aliquo modo licitum inſerere. In Incarnatione Chriſti Redemptoris noſtri quis poteſt ignorare Materiam humanitatis deſumptam fuiſſe à ſola virgine, informatam per virtutem Spiritus Sancti: Sed ne mentes ignorantia obnubilatas in majores ambages detrudam, ſatis eſt tantum Myſterium in ſimilitudinem exempli adduxiſſe, relinquens Viris Studioſis, qualis proportio inſit ad comprobationem meæ propoſitionis, conſiderare.

Denique ſi conſideremus naturæ principia, omnia ab uno emanare, faciliter cognoſcemus hoc generationis principium non diferre in Actione & paſſione ab omni alia productione quæ per naturæ curſum continua revolutione perpetuatur. Quale ſit iſtud naturæ principium, ſatis demonſtratum fuit à Moyſen, deinde Thales, primus qui inter Græcos ſe applicuit Naturam ſtudere & qui primus inter illos de Phiſica Locutus eſt, cum diu inter

Hæbreos

Hæbreos in Syria & Ægypto vixiſſet, ejuſdem Moyſis ſententiam adoptavit. Sic & non inepte Plato conſiderans primordium Creationis Vniverſalis, inſequendo naturam cognovit in ſeparatione principii, diverſitatem diſpoſitionis materiæ exigere diverſitatem formæ: Quod Scholaſtici non intelligentes crediderunt ipſum poſuiſſe Ideas ideſt formas ſeparatas à materiis, velut ſi in aere permanerent, & dari ab extrinſeco, & ſecundum meritum diſpoſitionis Materiæ Ideæ illæ infunderent formas; ſed Myſticè Loquentes & figurativè antiqui Philoſophi Plato & Pythagoras nos docuerunt quod aliter Philoſophus quam Natura, cum eiſdem principiis tamen, debet informare materiam, quia per artem forma datur ab extra, per naturam vero ab intrinſeco; ſicut Ariſtotiles accuſans Platonicos docet: forma enim quæ eſt ejuſdem naturæ cum materiâ ſemper datur ab intrinſeco, quæ autem diverſæ naturæ ab extrinſeco, ut Intellectus. Sed cum ars velit ſeparare principia naturalia neceſſe eſt illis dare formam ab extrinſeco, quia nulla materia poteſt ſubſiſtere in ſeparatione, niſi remaneat ſub aliqua forma; ſic ſtatutum à Natura, quod omne Creatum corruptioni & regenerationi ſit ordinatum. Omnia igitur quæ de

Gene-

Generatione embrionis diximus, confirmamus de omnibus aliis quæ in regnis animali, vegetabili, & minerali perpetuantur, ſequi eundem naturæ curſum quòd ſi homo ſequens naturam cognoſcet uti eiſdem principiis, & ſeparare & illa proportionabiliter componere poterit & ipſe perpetuare compoſita ſicut & eadem Natura ſecundum curſum præſcriptum à primo motore.

Ante Perſpicuos oculos unius cujuſque Viri in Republica litteraria benemeriti, & in theorica & practica verſati hæc humanæ naturæ principia, (quæ quidem ignorantibus & vulgaribus abſurda videbuntur) veritati tamen conſona exhibere Lubet, ut profunditus examini expoſita, judicium tantorum Virorum ſubeant, ſi propitiam obtineant ſententiam, & grato animo excipientur ad altiora Mens erigetur, & aliquas antiquæ Philoſophiæ ambages, & occulta ænigmata ſub allegoriis, nec non ſimilitudinibus, maxima obſcuritate abſcondita conabor elucidare quæ uſque adeo Philoſophi, tam cauti quàm invidentes, poſteris ocultaverunt, ſicuti eſt ſcientia quæ continetur in Libro ſecundo de Regno Galeni, quæ cum ſit tam obſcurè tradita, & à paucis intellecta, noſtris temporibus omnino neglecta, tamen cum con-

contineat verum ſanitatis theſaurum & ſcientiam ſcientiarum, omnes ſapientes viros ad illius ſtudium & cognitionem excitare cupio.

Suppoſitò quod ſolum nomen antiquæ Philoſophiæ Lectorem non exterreat, & ſcientia antiquorum non ſit apud modernos exoſa & prophana; cum inventi ſint clariores hoc [illegible] ævo qui novam Philoſophiam profitentes, veteres auctores nunquam legere nec inſpicere voluiſſe glorificantur. Ad tales homines ſermonem meum & ſcripta non dirigam, ſed illis exhibeo qui profunditatem ſcientiæ & veritatem agnoſcere queunt, non ſuperficiem verborum, & ſimilitudinum apparentiam & allegoriæ, in quibus quicunque incumbit, à recto tramite deviare, & naturæ arcana ignorare neceſſe eſt.

Sed ne inutilis videatur aliquibus hæc diſſertatio, concludo quod ſi bene perpendatur particularis iſta generatio animalis, & ad univerſalem naturæ mechanicam eam applicamus non ampliùs cæcutientes profundum illius ſacrarium inveſtigabimus, ſed omnia poſt primam Creationem, generationis, conſervationis & decompoſitionis arcana patefacta nobis apparebunt, ità ut cum iiſdem principiis eandem naturam pedetentim inſequentes

quentes ad veram Philoſophiæ perfectionem pertingamus, & nos quoque ſi non Creatores, tamen reparatores, conſervatores rerum creatarum univerſales efficiamur, ut ab Omnipotenti hominibus eſt datum.

# QUÆSTIO
## INTER
## *Medicos & Pharmacopolas*
## IN

*Judicium posita Causa multarum Medicinarum non solùm effectu debito ægrotos frustrantium, sed sæpè ac sæpius Mortem eisdem inficientium.*

## ELUCIDATIO.

ADHUC sub Judice lis est, an Medici ægritudines & morbos expellere, vel curare nequeant aut Apothecarii suis potionibus naturam offendant, & medicaminibus male præpa-

præparatis, intentionem & Scientiam Medicorum eludant. Examinare aliquantulum fas ſit quæſtionem hanc.

Indubitatum eſt apud Cunctos naturales, omne corpus, tàm animale, vegetabile, quàm minerale compoſitum eſſe ex materiâ groſſâ excrementitia & corruptibili in magna quantitate, & ex parvâ vel minimâ portione ſubſtantiæ ſimplicis, puræ & incorruptibilis; quod ſit verum videmus in alimentis hoc, in quibus Calor naturalis agens ſeparat partes groſſiores, expellitque eas, & ſubſtantiam ſimplicem homogeneam naturæ animali, per quandam magneticam virtutem ad ſe trahit, in conſervationem, augmentationem & propagationem ſuæ ſpeciei; ità ut omne id, quod ſtomacum noſtrum ingreditur, per loca deſtinata ſimili ferè pondere & quantitate qua illud ingeſſimus, egreditur. Hoc idem patet in ſeminibus plantarum, in quibus per ſeparationem pars ſola ſubtiliſſima, & ſpiritualis exhaltatur & propagatur, quando pars groſſior mortua ſine actione ad putrefactionem remanet.

Ex qua cauſa proveniant ægritudines, ſatis notum eſt Naturam animalem obrui à nimia quantitate ſuperfluitatum vel ab intemperantia unius ex quattuor qualitatibus, ſcilicet frigidi, humidi calidi, ſicci, domi-

dominantis ſuper alias, & cum calor naturalis non ſit potens ad devincendos inimicos ſuos vel ad componendam diſcordiam, neceſſe eſt ægrotum corruptioni ſubici, & in decompoſitionem individui vergere, quæ eſt Mors. Si igitur non adiuvamus virtutem vivificantem cum ſubſtantia ſibi homogenea, à ſordibus & immunditiis Libera, quomodo poſſumus credere, quod res corruptæ & corrumpentes in auxilium naturæ ægrotantis inſerviant, nec ut Petrarcha canit, à pluviis nunquam flumina exſiccata fuere, nec ignis per flammas extinctus, ſed corruptibile corruptibili additum corruptionem auget. His cognitis dico, Naturam ægrotantem adiuvandam eſſe, ut ſit potens ſuperare res corrumpentes & obruentes illam per Medicinas puras & incorruptibiles homogeneas, non verò ſibi extraneas & naturalem calorem opprimentes. Ideò paulò Latiùs neceſſe eſt ſermonem dilatare, ut controverſia faciliùs poſſit elucidari.

Natura igitur ſagaciſſima operatrix per ſuas proprias operationes docet nos quod in omnibus rebus finis conſiderandus ſit ad quem pervenire contendimus, & poſteà unde operationes noſtras incipere debemus. Prudens igitur Medicus Medicinæ puræ naturalis inquiſitor veram cognitionem habere

habere debet principiorum, progreſſus, & qualitatum materiæ ad morbos curandos, tam internarum, quàm externarum, ne finem cum principio confundat, ſi excellens quoddam opus perficere conſtituat, ne per regimina phantaſtica & calles incognitos à via regia quam natura à primis fundamentis tenuit, abſtrahatur. Talis Medicus non contentus materiam & qualitates agnoviſſe, diligenter inquirere debet & diſcere modum, quod materiam ſuam ad ſanitatem reſtituendam aptam reddat: conſideret illam debere eſſe perfectiſſimam, & quod à materiis inferioribus adhuc groſſis & imperfectis incipere oporteat, ad obtinendam hanc perfectionem, videlicet à ſeparatione partium ſuperfluarum & medicinæ inutilium, & ad evitandam illius corruptionem primò naturas contrarias dividere debet. Dantur plures ſeparationes in natura, una fuit initium omnium rerum, & prima operatio corporis univerſalis, confuſa membra ſegregans, ſed de tali, & de aliis hic non eſt ſermo, de unà tantùm ad propoſitum nobis eſt loquendum. Talis ſeparationis modus eſt, per eum natura, aut ars ad eius imitationem res contrarias ad invincem dividit, & ſegregat hoc eſt abſtrahit à ſubſtantia, id quod non eſt de eius eſſentia, ſed ei adverſa-

tur potius, cum illa tamen habitans, quamvis non ſit de illa, ſicut purum cum impuro, ſubtile cum groſſo, ſubſtantia cum excremento, & hæc ſeparationis ſpecies duas ab cauſas fit. Una ut pura ſubſtantia à corruptione & morte præſervetur; altera ut virtutes & actiones ſuas liberiùs proferat ut potè à groſſis fæcibus liberata. Impurum enim occupans aut implicans id quod de ſubſtantia purum eſt, eique admixtum non ceſſat hoc opprimere, donec plane tandem ſuperaverit & ſuffocaverit, eàque ratione corruptioni mortali initium & acceſſum præbens, quæ alioquin res ſimplices & puras nunquam aggreditur ſed ſpurcas, & compoſitas. Omnis igitur ſubſtantia de ſe ipſa ſimplex & pura eſt, & per conſequens corruptioni & morti non ſubjecta, ut in rebus, & corporibus ſuperioribus, ab omnibus excrementis liberis videmus. Inferiores autem eo modo non ſe habent, jacent enim in medio fæcum impurarum hujus mundi, quarum natura eſt deſtruere & mortificare, cum puritatis proprium ſit vivificare, & conſervare. Corruptiones & mortificationes hominibus per Mundi fæces accidunt, in quibus brevem & laborioſam vitam tranſigunt, plenam miſeriis, faſtidio, & Morbis, eodem ferè modo, quo criminis alicujus

alicujus reus obſcuro & turpi carcere detinetur, ubi inter mortem & ſpem vitæ dubius, ſqualleus, fætore, ſcatens verminibus & cibis immundis aut corruptis inſuper nutritus jacet. Omnia enim alimenta impura ſunt, & vitæ carnificem ſecum portant, venenum nempè in illis latitans, unde mors tandem propriarum quaſi manuum proditione & ſpontaneo aſſenſu introducta finem nobis imponit, cum in ſe non habeant, niſi parvam admodum quantitatem ſubſtantiæ vivificantis, & nutrientis eam, quæ adhuc excrementis adeò obrutam, ut vix digeſtio ventriculi quamtumvis valida eam attrahere ſolam poſſit. Hoc venenum igitur una cum ſubſtantia ingrediens, atque corpus penetrans non ceſſat augumentari & accumulari, donec vitale lumen obſcuraverit, & tandem extinxerit, ſeù potiùs naturæ, actionem legitimam, quæ vivificatio eſt aboleverit, niſi medicina & ſeparatione retardetur, aut ſuſpendatur. Ab excrementis igitur inducitur corruptio, & hæc duobus modis accidit, primò per ſemen Parentum, qui cum ſatis non bene valent, & naturam corruptam habent, impurum etiam corruptumque ſemen producunt, de generatione in generationem magis degenerans, medicamentoſæ tamen corruptioni ſubjectum, cum

bene-

beneficio corruptionis activæ ad mortificationem tendentis, cursus retardatur & aliquo modo sistitur. Nostra enim ætas magis vitiosa, & dissoluta, quam antecessorum nostrorum, fecit statum nostrum peiorem illo quo Parentes nostri vixerunt, & post nos alius magis depravatus, & postea alius adhuc dissolutissimus insequetur. Quicquid enim terra, & cætera elementa, impuritatum receptacula producere possunt, corruptum & maculatum est, corruptionem per consequens, & spurcitiem omnibus rebus quibus pro alimento est inferens. Atque hoc modo sanguis malam dispositionem acquirit, unde postea maligni humores sortiuntur in uno tamen plus, in altero minùs, secundùm parentum statum inquinatum, & abusum rerum corruptibilium, à quibus destructionis & mortalitatis causa procedit. Si enim terra, ejusque fructus æquè pura essent ac Cœlum, animalia etiam omnia eàdem viverent vitâ, qua Cælestes Inquilini vivunt. Verùm natura hanc legem necessariam stabilivit, ut illud quod plus de corpore habet, maximè etiam corporeum circumhabitet, & quod magis corruptibile & inquinatum est, circa illud quod sibi simile est. Terra autem omnium corporum inferior est, adeoque magis grossa, & corruptibilis. Nihil ergo

ex illa prodire poteſt, quod ei non ſit ſimile, niſi ſeparationis ars interveniens, corruptionem, & impuritatem auferat extrahendo quicquid puræ ſubſtantiæ in corpore eſt, quòd etiam doctus medicus induſtria ſua perficere poteſt. Non eſt intentio mea ut Medicos offendere velim, quibus debitum potius honorem defero. Mirantur tamen viri docti in naturali ſcientia, eos majori cura Apothecarios non inſtruere; ut in præparatione Medicamentorum magis curioſi ſint, cum tamen in vulgari procedendi modo, toties ſucceſſu optato fruſtrari ſe videant: volunt enim corpora ægra & debilia curare & reſtituere offerendo illis juſculorum magnam quantitatem, quibus tanta impuritatum & groſſarum fæcum copia immixta adhuc eſt, ut parum illud ſubſtantiæ, in quo virtus curativa latet, in ſuo veneno ſubmergatur, & actionem contra morbum nullam habeat. Natura etiam actionem juvare non poteſt, cum ipſa ſuccumbere in hoc conflictu cogitur, hinc ratione impuritatum remedii, illinc autem morbi cauſa. Idem igitur ac ſi quis corruptionem armis, aut mediis corruptis, & corrumpentibus abigere vellet. Ægri etiam vires admodum debilitatas alimentis inſtaurare conantur, quæ facilis digeſtionis, minorum impuritatum, & corruptioni adeò

ſub-

ſubjecta non eſſe credun[illegible]. Sed non conſiderant hoc etiam modo parùm ſe proficere, atque alimenta quantumvis electa prodeſſe tamen admodum non poſſe, quia cum actionem aut potentiam deſtructivam ad exterminationem aut ſaltem cauſarum morbificarum minorationem, nullam habeant pro ſuſtentaculo tantum ſerviunt miſeræ vitæ ex debilitate ferè collapſæ, quæ tamen ideò ab expiratione aut morte libera nondum eſt, niſi natura ſponte aſſurgat atque inimici ſui mortalibus machinationibus, ſeſe obiiciat aut medicamentis forſan exquiſitis Medici artificis magna induſtria ad puritatem & perfectionem ſupernaturalem reductis, adiuvetur, quorum virtus à corruptione libera vigorem priſtinum reſtituat, & hoc modo originem morbi eradicare valeat. Omne enim verum medicamentum duas haſce operationes perficere debet, ut ſimul purget, & vires inſtauret, in quo totius medicinæ ars & fundamentum conſiſtit; quanquam hodiè dictarum duarum partium tantùm minor in uſu ſit, purgatio nempè, magis autem excellens reſtauratio, ferè abolita, & per inertiam aut avaritiam neglecta jaceat. Quod hoc ità ſit, ex quibuſdam potionibus intra corpus aſſumptis apparet quæ alium effectum non habent, niſi ut materiam quandam excrementitiam

mentitiam cum morbo nihil commune habentem expellant, & interdum propter ſimplicia malè præparata, aut diſpenſata aut impertinenter adaptata ſuperfluæ evacuationes cauſentur, naturam jam ante debilem non ſine periculo offendentes, quæ quidem enervata magis tam propter vacuum à quo abhorret ſuper omnia, quàm propter motum violentum in hiſce purgationibus contingentem, atque hinc necis magis quàm curationis cauſam exiſtentem. quem etiam violentum motum non minùs deteſtatur quàm vacuum, eſt enim impatientiſſima ad horum duorum hoſtium juratorum inſultus deſtructionem ei inferentes. Ea de cauſa Medicina vulgaris morbos obſtinatos compoſitionibus ſuis, communi modo præparatis rarò curat, & ſi inter multos unus forſan curatur non hoc accidit per pillulas bolos & potiones, ſed per vires naturæ quæ ſufficiens eſt ad devincendam impuram quantitatem immixtam his remediis, & commodum aliquod in ſuum ſubſidium ex pauca eorum ſubſtantia extrahendum: Sive quod qualitas venenata harum rerum excrementitiarum & corrumpentium, robore naturæ expulſa, & rejecta ejus ſit potentiæ ut fæcum portionem aliquam humoris peccantis ſibi ſimilem per attractionem & ſympatiam extrahat & deturbet.

Atque ità tale medicamentum extraneum impugnando corpus naturam etiam movet quæ irritata, & ad reſiſtendum huic ſuo inimico parata, reicit & violenter impugnat id quod ſibi noxium & contrarium eſt. Si igitur omne medicamentum conveniens & non adverſum naturæ eſſe debet, oportet ut à veneno ſuo ideſt à maſſa excrementitia & corruptibili illi adhærenti repurgetur. Qua de cauſa Medicus primò res eligere debet corpori humano convenientes, & ſympatiam cum eo habentes, & haſce ab impuritatibus liberare, aut eas ſaltem accipere, quæ naturaliter virtutem generalem, & puritatem innatam atque in interiori ſuo occultam continent. Quæ purificatio aliter fieri non poteſt, niſi per deſtructionem & ſeparationem impuri noxii, & reſtaurationem puri, quod ſub immundicie ſepultum aut ſuffocatum jacebat. Quia verò munus meum & profeſſio non eſt medicinam facere ulteriùs ea de re tractare ſuperſedebo, tantùm adjiciens quod niſi Medici & Apothecarii ſciant per ſepationem ab eorum bolis, ſimplicibus & potionibus ſubſtantiam homogeneam extrahere, & à fæcibus liberare, fruſtra conantur ægrotos adiuvare, & morbos expellere, quia vitium vitio non emendatur? Modus perveniendi ad talem ſeparationem ſatis ab antiquis & quibuſ-

dam modernis Medicis & Philoſophis declaratum fuit, & tam ſæpè repetitur à Galeno, Hypocrate, Avicenna, à Paracelſo & quam plurimis aliis, ut ſatis ſit illos aliquantulum ſtudere, ut facilè in illorum ſcriptis poſſimus perfectionem veræ Medicinæ indagare. Sed animadvertere opus eſt quod ſi ignoramus rectam naturæ ſemitam in ſuis operationibus, & illius ſeparationem putrefactionem & mixtionem, ac ſi non cognoſcimus quatuor qualitatum Elementorum ſcilicet frigidi, humidi, calidi & ſicci pondera coaptare, in vanum in libris quæremus & inveniemus veram Medicinam extrahere, & ſuperfluitatibus verborum tantum incumbentes in majorem ignorantiam, & in infinitas ambages detrudemur. Animadvertendum quoque eſt quod in talibus operationibus ignem Naturæ cum quo omnia vivificat auget, & conſervat ſcire idoneum eſt, ut & ſimiliter ejus exemplo vel illo, vel ſaltem illum æquipollenti utamur, ne ab igne vulgari deſtructivo fruſtrati ſimus optato fructu, quia talis ignis ſicut & vulgares ſublimationes, calcinationes alambici, & furni, non niſi deſtructionem annihilationem & perditionem nobis pariunt non ſolùm veræ Medicinæ ſed in infinitos quamquam inanes ſumptus nos detrudunt. Tales enim

ope-

operationes cum ſint contrariæ ordini immutabili Naturæ non eſt mirandum ſi in deſperationem homines ſæpè ac ſæpius compellant, non propter impoſſibilitatem inquiſitionis ac veritatis, ſed propter eorum avaritiam & ignorantiam. Natura autem continua actione laborat ad corporificandos ſpiritus & purificandos ſeparando, ut vivificet augeat, & perpetuet omnia creata, ut patet in vegetabilibus & in animalibus, quæ inſenſibiliter noſtris ſenſibus & inviſibiliter creſcunt per unionem ſolius ſpiritus univerſalis corporificati. Pharmacopolæ è contra cum conantur ſpiritualizare corpora, impoſſibile quærunt cum non detur retroceſſio in natura, & tantùm ſulphur corrumpens retinentes ſæpe, ac ſæpius, virtutem intrinſecam homogeneam naturæ deſtruunt & comburunt. Sed ſi vellent ſequi naturam, Optimam & perfectam Medicinam perficient ſine labore, ſine ſumptu, ſine fraude & ſine triſtitia, ad expellendos morbos, & reſtauranda corpora humana. Sed quando hæc erunt.

*FINIS.*

MVSEVM
BRITAN
NICVM